

**1999-06-01 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Ministerii Longinquitas’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**EPISTULA DATA  
AUGUSTINO CACCIAVILLAN,  
ARCHIEPISCOPO TITULO AMITERNINO  
PRAESIDI AMMINISTRATIONIS  
PATRIMONII SEDIS APOSTOLICAE**

*Venerabili Fratri  
AUGUSTINO CACCIAVILLAN  
Archiepiscopo titulo Amiternino  
Praesidi Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae*

Ministerii longinquitas magna plena fidelitas tui ipsius, Venerabilis Frater, tum sacramentalis in presbyteratus tui episcopatusque perfunctione diligent tunc officialis in Apostolicae Sedis diversis operibus, magnopere quidem Ecclesiam Matrem laetificat, at Nos in primis recreat qui hoc potissimum tempore fausto actuositatem tuam multiplicem vocibus illustrare cupimus Nostris, dum singularem prorsus vitae tuae operaetque proximum eventum his Litteris tibi velut coram traditis honorare volumus convenienterque tot cum aliis tui fautoribus et amicis concelebrare.

Vicentina quoque communitas suo prope iure de te gloriatur, cuius in finibus ortus es ac tres priores sacerdotii tui transegisti fructuose annos pulcherrima quadam in ipsis paroecia. Intento itaque studio et gratulabundo animo exspectant passim sane plurimi praevidentque vicesimum sextum mensis Iunii diem, quo quinquaginta ipsis abhinc annos Christi Redemptoris sacerdotio es in aeternum auctus et initiatus, cum adeo clarum simul industriae frugiferae iniisti curriculum, effecta cuius diu posthac salutaria per orbem percipientur.

Sacerdotales enim tuas virtutes ingenique dotes praeclaras Decessor Noster immortalis memoriae Paulus VI agnoverat, cum Ecclesiae inter spectatos pastores recenser te vellet ac Pro-Nuntii partibus in Kenia Apostolicique Legati munibus perfungi in Insulis Seycellianis iam viginti tres abhinc annos. Nobis deinde item merita perplacuit navitatis tuae illuminare destinareque ad catholicarum utilitatem communitatum prius in India ac Regno Nepalensi, postea apud Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis regimen et Statuum Americanorum consociationem. Singulis autem his in munibus sollerter explendis cum Matris Ecclesiae haud umquam spem de te exspectationemque fefelleris, Nostra ideo gratulatio de sacerdotii tui primordiis cum laudativa totius tui operis aestimatione facile necessarioque coniungitur.

Quinquagesimum propterea sacerdotii tui commemorantes annum et aureum iubilaeum tum quadragesimum pariter in Sedis Apostolicae ministerio adsumus tibi, quem prope Nos nuperius operari in Administratione Patrimonii Sedis Apostolicae censuimus, ac tecum, Venerabilis Frater, congruas Pastori Divino omniumque gratiarum Auctori referimus laeti grates de donis caelitus tibi tributis tuaeque de providae operae beneficiis.

Quam beatissimus tibi ut anniversarius presbyteratus tui illucescat exoptamus dies teque maiora deinceps incitet ad incepta pro Dei Populo suscipienda uberioresque tibi cumulandas laudes. Esto tibi igitur salutatio haec valido solacio et incitamento; perpetui similiter favoris superni esto posteros in annos tibi, Venerabilis Frater, pignus Apostolica Benedictio Nostra nominatim nunc ipsum transmissa.

*Ex Aedibus Vaticanis, Kalendis Iuniis, anno MCMXCIX, Pontificatus Nostri vicesimo et primo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**